



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI  
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne  
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex  
auctoritate superiorum.||**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Köln, 1585**

**VD16 M 110**

Variè propter Christum exercetur. Cap. XX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

Varie propter Christum exercetur.  
Cap. XX.

Eq; vero, quamuis interim à plenibus categesi atq; à publicis actionibus abstineret, idcirco tamen, quoad per scholas licitum est, ab adiungendis ad Christum hominibus, animandisq; ad studium veræ laudis & gloriæ destitit. quapropter multi nec infimæ fortisviri, priuatis ipsius colloquijs ac mortuis incitati, partim castigato vetere luxu, Christianæ disciplinæ seueritatem induerunt; partim etiam solemnni voto varia religiosorum instituta professi sunt; partim denique ingenti academiæ totius admiratione, in Christi gratiam pecunia egentibus distributa, pauperem vitam agere, atque adeo ad conculcandum penitus omnem sæculi fastum, & expianda superbiæ crima, palam per vicos & compita manum ad stipem ipsi porrigerere, vietumque palam emendicare cœperūt. quos tamen amici, rem indigne ferentes, cum neque precibus neque minis à proposito reuocare valuissent, fa-

H 2 Cta

ea manu denique ab hospitali domo  
sancti Iacob, iquò sese contulerant, v.  
armisq; in pristinum academiæ diuer-  
sorium ad sua prosequenda studia re-  
traxerunt. Ignatius verò tantam eius-  
modi rerum iniuidiam subiit, vt preter  
cæteras iniurias & maledicta, falsis et  
iam criminationibus ad sacrum Inqui-  
sitorem semel iterumque delatus sit.  
Is erat ea tempestate Matthæus Ori, ex  
Dominicana familla Theologiæ ma-  
gister, tum eruditione, tum probitate  
conspicuus; qui accusatorum fraude  
comperta, Ignatiū non absoluit mo-  
do, sed etiam miris ornauit laudibus,  
ipsumque Exercitiorum librum, qui  
præcipue in suspicionem crimenque  
vocabatur, tantum abfuit vt damna-  
ret, vt sibi etiam eiusdem exemplum  
Ignatij permisſu desumpserit. prætereā  
absolutionis ac sententiæ formulam,  
publici scribæ chirographo & signo  
munitam, quam contra iniquorum ca-  
lumnias, quandocumque opus esset,  
proferret, tametsi minus gratum id po-  
tētibus quibusdam viris fore videbat,  
Ignatio petenti concessit. Neque vero

pro

pro Christi nomine solū hac falsæ accusationis procella defunctus Ignatius est; sed eorum ipsorum opera, qui illum deinde vel maxime dilexerunt, virgarum quoque publicè periculum adiit. Mos est Parisijs, in schola sticos improbos ac seditiosos, ad sanctiēdam academiæ disciplinam, hūc fere in modum animaduertere. Dissimulato consilio, ad conditam diem in aulam collegij Primarius, magistriquæ nodosa instruēti virga conueniunt: comprehēsumque repente noxiū, & in medio confessu nudatum; certo plagarum numero singuli afficiunt. Id supplicij genus Lutetiæ tum ad sensum corporis peracerbum est, tum vero ad ignominiam ac dedecus longe turpissimum, deoque ipsius loci nomine aula vulgo appellatur. Hunc igitur cruciatum ac notam maleficiis constitutam, Ignatio insonti, quod condiscipulos festis precipue diebus à schola ad oratorium & sacra mysteria confessionis altarisquæ traduceret, vehemēter iratus magister ipse Ioannes Penna parauerat, Iacobo Gouea Lusitano collegij Primario in  
H 3 suam

suam sententiam facile adducto, quippe qui iam ante priuatim erat infensus Ignatio, quod familiarem quemdam suum, Amatorem nomine, seuerioris vitæ præceptionibus imbuiisset, atque (vt pietatem fere interpretantur homines) infatuasset abductum à curis inanibus, & incundo cōuidū amicorum, atq; à pristina consuetudine. Ut igitur dicta supplicio dies illuxit; aduentans iam ad scholas, ab amico fideli mature monetur Ignatius, ne intra collegiis pta vtiique illo die inferat pedem; concitatos in cum esse omnium animos, poenas aulæ daturum extemplo, ni caueat. Ad cuius rei nuntium anticipata deliberatione distractus Ignatius, quod & pro Christi nomine verbera & contumelias perpeti mirificè optabat, & supplicij apud homines adeo turpis in famia, metuebat ne complures è iuuētute, ipsius opera iam ad meliora conuersos; necdum in bono stabiles, à sua consuetudine atque auctoritate auocaret, iterque sibi ad alios etiam deinceps Christo lucrifaciendos abrumperet; totam rem ad ipsius Gouera-  
arbi-

quip  
enfū  
ndam  
riori  
atque  
hom  
s ina  
rum,  
gitur  
ntans  
ature  
gij se  
;con-  
mos  
ni ca-  
cipiti  
quòd  
con-  
, &  
ois in  
uuē-  
con-  
es, à  
ite a-  
iam  
ab-  
ouea  
arbi-  
arbitrium, iudiciumq; reiwcere statuit:  
quod ille re cognita decreuisset, id ex  
diuina maximè gloria & voluntate fu-  
turum; neque de eiusmodi sentētia vl-  
lis amici denuntiationibus precibúsve  
demoueri se passus, quamquam horre-  
tipoenæ imminentis acerbitatem, &  
renitenti carni vim fortiter intulit: in-  
gressusq; collegium, & recta Goueam  
petens, nondum è cubiculo egressum,  
placido ac sereno vultu, & altam ani-  
mi pacem ac securitatem indicante:  
*Si me& mihi (inquit) existimationis & in-  
columitatis, quām diuine glorie, salutisq;  
animorum cura prior esset ac potior, nequa-  
quam hodierno die pedem intra fines huius-  
ce collegij posuisssem. neq; enim antequā huc  
venirem, ignarus eram Gouea, quantum è  
vestra omnium indignatione dedecoris, quā  
acerba tormenta me maneant. Sed quoniā  
nihil omnino mihi vel ad meritum optabi-  
lus, vel ad veram dignitatem præclarius  
duco, quām Christi Domini causa, tam gra-  
uia, tamq; multa pro me perfuncti, viciissim  
probra, plagas, mortem deniq; perpeti: id  
circo nimirum ad scholas accessi, & ulti-  
mem et tantū & corporis & famæ discri-*

H 4 men

men obieci. Verum enim vero mihi non m.  
d> quid votis meis ac desiderio, sed etiam  
quid proximorum rationibus, & sempiter-  
ne saluti conducat, caritatis lege consideri-  
dum est. Multos habeo adolescentes De-  
beneficio nuper è cæno flagitorum emersos,  
ac vix dum auulso ab improborum pestili-  
ti consortio, hos ego vereor, ne si me in tan-  
honesto conuentu publice vapulasse consti-  
terit, à meo sermone congressuq; protinus a-  
uocet infamiae metus; ac proinde, ut sunt fi-  
xibiles hominum voluntates, ad eadem illa-  
saxa, quibus paulo ante adhæserant, ingen-  
ti dæmonū gaudio, & feruor etatis, & pra-  
ua consuetudinis astus abiupti. Simul etiā  
(verum ut fatear) tui me Gouea, doctorisq;  
mei Pennæ me miseret, qui Christianā pu-  
tatem ac fidem sacramento professi, ceteru-  
que ad exemplum iustitiae virtutisq; præpo-  
siti, Christifamulum, Christicauſam agen-  
tem, adeo acerbe insectamini. & qui, qua-  
pœna lex affici iubet eos, qui scholasticos de-  
prauare, magistris illudere, seditiones con-  
flare voluerint; eadem dignum iudicatis ēh,  
qui iuuentutem à vitys, doctores à iurgijs,  
academiam à tumultibus vindicare con-  
tur. quæ quoniam mecum ipse reputans, non  
louis

leuis momenti ducebam esse, quamquam cupidus inimicorum odij vel meo sanguine explendi, tamen pro nostra necessitudine deesse nolui, quominus eadem tibi quoque, integra etiamnum re, consideranda proponerem. Mihi, ut dixi, pro Christi nomine vexari auctor queri optatissimum est: iamq; si videatur, sponte ad patibulum pergo. tu, Lutetiae Parisiorum, a sancte Barbarae collegio, in eiusmodi causa tale documentum vel pietatis vel aequitatis dari an expediatur, pro tua sapientia ac religione constitue. Vixdum Ignatius dixerat, cum Gouea, vir & nimis concitaretur aliunde, suopte mitis ingenio, & tum instinctu diuino valde compunctus; illico cœpta damnavit, ac maiorem in modum detestatus est; apprehensumque amicissime Ignatiū deduxit in aulam, quo iam collegæ cū reliqua turba parati conuenerant. Ibi silentio indicto, repente contra omnium exspectationem de Ignati; laudib; orationem instituit; viri fortitudinē, innocentiam, caritatem extollens; se ipsum, & cæteros qui innoxio periculū struxerant, vehementer accusans. quā in sententiam cum multa dolēter gra-

H s . uiter.

pterque dixisset, ad extremum obortis lacrymis, ad Ignatij genua procidit, precatusq; delicti veniam, & apud ceteros illum in admirationem gratiam que restituit, & ipse in omni deinde vita Ignatium & socios precepio amore studioque complexus est.

*De socijs ad Ignatium adiunctis.*

*Cap. XXI.*

**H**asce igitur, aliasq; eiusmodi insedationes atque pericula Ignatius Christi causa contraxit. attamen idem plurimorum quoq; sibi gratiam ac benevolentiam optimis artibus perperit. Fuit enim in illo, praeter diuinatus infusa charismata, mirum etiam atque efficax ingenium & studium ad animos hominum demerēdos. In principum amicitias opportune insinuare se, eisdemque obsequio & submissione tueri; pares facilitate ac suavitate morum allicere; inferioribus & egenitibus, auctoritate, opera, necnon ē suis angustijs etiā pecunia præsto esse; morbo aliquo laborantes vel cum valetudinis & contagionis periculo adire, solariq;